



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

3. Considerationes de actionibus, dictis & doloribus Salvatoris nostri

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

3. *Considerationes de actionibus, dictis, & doloribus Salvatoris nostri.*

TOta Salvatoris nostri vita ad tria potissimum capita reduci potest: Scilicet ea *qua dixit, qua fecit, & qua passus est.* *Multa dixit, mira fecit, dura passus est,* inquit S. Bernardus. Tres istæ considerationes tria possunt meditationis puncta constituere. Verùm cum illæ nimis sint generales, satius erit quolibet ex iis, quæ dixit, fecit aut passus est, seorsim ac sigillatim expendere, idque ab ipso inchoando mysterio Incarnationis, atque usque ad gloriosam ejus Ascensionem continuando. Considerando videlicet vitam illius pauperem, humilem ac pœnosam, actiones ejus heroicas, zelum, quem, habuit salutis animarum nostrarum, miraculosas morborum curationes, contemptus, actandem mortem contumeliosam, quæ omnia pulcherrima in se comprehendunt documenta, quæ propriâ quivis consideratione evolvat. Verùm in quolibet ex hisce punctis quivis poterit considerare

1. Quis sit ille, qui dicit, facit, aut patitur ista? Est videlicet Filius Dei.

2. Pro quibus dicit, facit, aut patitur talia? pro hominibus peccatoribus & ingratis.

3. Quo fine? ob nostram salutem, & ad nostram eruditionem ex illius dictis hauriendam & exemplis,

4. Quo cordis sui affectu talia dixit, fecit, aut passus est.

5. Qua gratia, suavitate, humilitate atque exteriori modestia.

6. Alias

6. Alias loci; temporis & personarum circumstantias.

7. Considerare exinde quis poterit fructum, quem ex istis percipere debeat, simulque ad illum amplectendum resolvet.

4. *Considerationes de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.*

I. **C**ONSIDERABIS historiam, ac seriem Institutionis illius.

2. **C**AUSAS istius institutionis. Illud etenim Salvator noster instituit. 1. Ut esset nobis sanctissimæ passionis suæ rememorativum. 2. Ut suum erga nos testaretur amorem. 3. Ut nobis esset sacrificium. 4. Ut esset pignus æternæ gloriæ. 5. Ut esset animarum nostrarum cibus & c.

3. **M**IRACULA, quæ in ipso reperiuntur. 1. Quod panis & vinum esse desinant eodem, quo sacerdos verba consecrationis protulerit momento. 2. Corpus Christi Domini, quod in cælo habet debitam extensionem, hic est quasi contractum ad quantitatem exiguæ hostiæ. 3. Ipsum non dividitur, etsi hostia frangatur. 4. Eodem tempore in pluribus Ecclesiis diversisque reperitur altaribus. 5. Quilibet ipsum manducat, neque tamen diminuitur. Atque omnia hæc miracula non operatur, nisi ut miseram invisat animam, quo satis commonstrat, quantum amet, quantique faciat salutem nostram, pro qua tanta operatur.